Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 479

Quelle:
Copyright:

pietate commoneo. ut quociens aut in die dominico &c. Et hanc dat *Trithemius Ephraemo; Mauriani* vero nulla ejus facta mentione *Caesario* T. *cit. Append. col.* 468.

Fol. 44. p. 2. *Quid interſit inter illam penitentiam quę cum bonis operibus ſemper agitur. et illam quę in infirmitate uel fine uitę accipitur.* Initium: *Multi de fratribus uel filiis noſtris ſolliciti ſunt. utrum omnis homo in infirmitate* &c. Nihil de hoc Sermone *Trithemius; Maurianis Append. cit. col.* 419. *Caeſarianus* eſt. Decideretur lis, ſi III. hi Sermones lingua Syra aut Graeca reperirentur. Interea maneant *Caeſario* communi omnium Sermonum dubiorum perfugio, utut Miniator noſter ad eorum calcem ſignaverit: *Explicit liber effrem.*

II. *fol.* 47. praemiſſo Schemate digitali Tonorum paullo ſerius adpicto *Incipiunt capitula in muſicam.* At cujus? *Theogeri* ex Abbate S. *Georgii* in *Silva Nigra* Epiſcopi *Metenſis*, quam ſedem a. 1118. deſeruit ad *Cluniacenſes* digreſſus. Edidit illam mihi, dum viveret, perquam addictus *Mart. Gerbertus* D. *Blaſii* in eadem *Silva* Abbas, S. R. Imp. Princeps inter *Scriptores Eccl. de Muſica* T. II. p. 182. Et Textus quidem noſter Editis probe conſonat, ſed, ubi illa finiunt: *uſus vero obſervandus;* addit noſter: *et iterum: Oportet nos analogiam ſcire pręceptorum. uſum tamen obſeruare.* Item addit exempla *autentici* et *plagalis cantus.*

III. *fol.* 53. p. 2. *Incipit regiſtrum tonorum ſecundum prędicta abbatum. Ottonis Cluniacenſis. Bern.* (onis) *augenſis. Willabelmi birſaugenſis. Gwidonis* (Aretini) *monachi.* Omnes hi Autores adſunt in praedicta Collectione, atque ex eorum Praeceptis hic recenſentur VIII. *Toni*, videlicet: *Autenticus protus, Plagalis proti, Autenticus deuterus, Plagis tritus, Autenticus tritus, Plagis triti, Autenticus tetrardus, Plagalis tetrardus*, ſingulique exemplis ex Officio eccleſiaſtico illuſtrantur.

IV. *fol.* 58. *De diuiſione fiſtularum organalium.* Depromta ſunt haec e *Muſica Aribonis Scholaſtici* Sec. XI. Scriptoris, quam apud laudatum *Gerbertum* habes T. II. p. 197. Sunt vero §§. ibi inſcripti: *Antiqua fiſtularum menſura, quæ intenditur. Nova fiſtularum menſura, quae remittitur. Aribunculina fiſtularum menſura. Organicæ diſpoſitionis menſura. Qualiter ipſæ congruenter fiant fiſtulæ.* Sed poſtremi duo in Codice transpoſiti ſunt, eosque ſequitur §. *De ſimplici cymbalorum menſura* &c. qui in Editis p. 221. cunctos adductos antecedit. Hunc continenter excipit §. *Quomodo organice modulatur*, qui incipit: *Qui organalem ſcientiam cupit attingere, ſcire debet, quod omnis cantus in organis inter ſeptem arceatur diſcrimina vocum* &c. et apud *Gerbertum* fruſtra mihi quaeſitus eſt. Neque inveni Carmen de Doctrina *Troporum* ſyſtemati quadrilineari et notulis muſicis illigatum, quod ita init:

Quam-